



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An valeat punctum sponsalibus adiectum quod vir teneatur in certo loco
commorari. §. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

PUNCTUM XIV.

An fideiussores, & pignora ob securitatem sponsalium apponi possint?

- 1 Apponi possunt fideiussores.
- 2 De pignoribus triplicem referunt sententiam Sanch. & Gutier.
- 3 Quod si dicendum.

1. Certum est fideiussores pro securitate matrimonij contrahendi apponi posse, quia nullibi contrarium cautum est, ut aliis relatis docent Sanch. lib. 1. de matr. disp. 38. num. 1. Gutier. de matr. cap. 2. 2. Hi autem fideiussores solum obligari possunt ad solvendum interesse, & damnum, quod ex violatione sponsalium parti innocenti provenit, non tamen ad solvendam aliquam penam, quia non possunt obligari in amplius, quam contrahentes iuxta §. 1. in fin. de fideiussorib. & radunt Doctores relati.

2. Quoad pignora vero triplicem Sanch. & Gutier. supra referunt sententiam. Prima negat concedi posse, nisi pro interesse praestando, & eo soluto restituenda esse, eo quod lex fin. Cod. de sponsalib. omnem penam dempsit artus excludat. Secunda admittit pignora, id est arrhas, iuxta l. 1. Cod. si rector prauincia, verbo pignora, vel pro arrharum promissarum securitate, & loco illarum. Tertia, quam ipse Sanch. & Gutier. veritatem reputant, inquit, si praecedat stipulatio penae, & tradantur pignora nullam esse horum traditionem, quia reputantur tradita pro penae solvenda securitate, cuius obligatio ad penam cum nulla sit, iuxta cap. gemma de sponsalib. nulla esse debent quae pro illius securitate traduntur. Contra valent pignora, si arrharum stipulatio praecedat, nam cum haec stipulatio permittatur, permittuntur quae pro illius securitate convenienter apponuntur, & in casu dubio in hunc finem censenda sunt apponi, quia praesumptio quoad fieri possit sumi debet quae delictum excludat, & actui valorem concedat.

3. Ego vero dicendum existimo pignora in sponsalibus excludi tantum pro securitate penae solvenda, admitti tamen non solum pro securitate arrharum, sed etiam pro interesse, quod innocens amitteret, & pro damno quod pateretur ex fide sibi violata. Prior pars conclusionis constat ex probatione tenita sententia: nam corruente principali, scilicet obligatione ad penam corruere debet accessorium, nempe pignus in illius securitatem, ex reg. accessorium, 42. de Reg. iuris in 6. reg. cum principalis 138. ff. de Reg. iuris. Secunda pars ex opposita ratione constat, nam cum in contractu sponsalium obligari contrahentes possint non solum ad solvendas arrhas promissas, sed etiam ad solvendum interesse, & damnum si quod accidat ex sponsalium violatione, fideiussoresque in hunc finem apponi possunt, merito pignora admittenda sunt.

PUNCTUM XV.

De pacto sponsalibus adiecto permanendi in aliquo loco.

§. I.

Quam obligationem habeat vxor sequendi maritum, vel maritus vxorem?

- 1 Vxor obligata est sequi maritum.
- 2 Eximitur ab hac obligatione, si probabiliter teneat ibidem esse male tractandam.
- 3 Tamen si vir domicilium non mutet, sed alio se transferat, animo ibi aliquantulum permanendi, tenetur vxor eum sequi.
- 4 Quod verum est etiam si maritus ob penam delicti in exilium mittatur.
- 5 Secus est si maritus hinc inde vagari cupit.
- 6 Limitatur, ne procedat si tempore matrimonij solitus erat vagari.
- 7 Quando maritus tenetur vxorem sequi.

1. Pactum, quo vir astringitur habitare in aliquo loco difficultatem habet, an licitum sit ob obligationem naturalem, quam habet vxor sequendi ipsam quocunque ierit: ideo haec obligatio prius explicanda est, ut inde constet, qualiter ex pacto remitti possit.

Vxorem obligatam esse sub culpa laetali sequi maritum alio domicilium transferentem docuit S. August. ab omnibus receptus, cap. vnaqueque 13. q. 2. Cum enim coniuges ex matrimonij contractu teneantur ad mutuum obsequium, illudque praestare nequeant nisi simul habitent, efficitur obligatos esse simul habitare: eligere autem habitationem non mulieri, sed viro competit, utpote qui illius est caput, & pendens quem est gubernatio domestica. Quod ad id verum est, ut etiam

absque vlla speciali causa solum pro libito vellet domicilium mutare, teneatur vxor illum sequi, quia in hac mutatione vir liber est, & vxor est illi subiecta, ut tradit Gloss. cap. 1. de coniugio leproso. verbo, sequatur, & ibi Hostien. Ancharan. num. 6. Abbas in cap. de illis num. 4. de sponsalib. & aliis relatis Sanch. lib. 1. disp. 41. num. 3. Gutier. de matrim. cap. 23. num. 5.

2. Ab hac tamen obligatione eximitur vxor, si probabiliter timeat ibidem esse male tractandam, vel ad peccatum pertrahendam, vel aliud graue damnum passuram, quia prius debet se, suaque iura integra, & indemnitas seruare, quam mariti, ut bene aliis relatis docuerunt Sanch. dicta disp. 41. num. 3. & 4. Gutier. cap. 23. num. 4. & 5.

3. Quod si vir non domicilium mutet, sed alio se transferat animo ibi aliquo tempore commorandi, & postmodum ad domicilium revertendi, si id fiat ex causa honesta (ut praesumi debet) obligata est vxor illum sequi, ut tradunt in dicto cap. de illis de sponsal. Henric. Alexand. de Neuo, Abbas, & alij plures, quos sequitur Sanch. dicta disp. 41. num. 10. Gutier. dicto cap. 23. n. 3. Quippe semper vxor in obsequio mariti, cui per matrimonium se subdidit, esse debet.

4. Solum est difficultas, an si maritus ob penam delicti commissi mittatur in exilium, debeat vxor illum comitari? Et licet plures, graueque Doctores relati a Sanch. lib. 1. disp. 11. num. 11. & a Gutier. dicto cap. 23. num. 11. negent hanc obligationem, ne vxor innocens patiatur incommodum, cupit viri, & ob eius delictum puniatur, at verius est, & probabilius obligatam esse, ut pluribus relatis sustinent Sanch. & Gutier. supra; eo quod vxor teneatur viri infortunium sequi, leg. cum dotem, §. in autem, ff. solut. matr. Neque inde fit panis vxorem ob delictum viri, sed virum puniunt obligatam esse sequi ob debitam subiectionem, quam in illum habet, & ob debitum obsequium, quod ei praestare tenetur.

Hinc inferunt pluribus relatis Sanch. lib. 1. disp. 41. num. 3. & Gutier. dicto cap. 23. num. 12. vxorem obligatam esse maritum bannitum inopem alere ex bonis suis dotalibus, vel paraphernalibus, quia haec bona ad sustinendam matrimonij onera conferuntur, cuius obligatio ob bannum non cessat.

5. Verum si maritus neque domicilium, neque habitationem diuturnam alicubi statuit, sed hinc inde vagari cupit, nequaquam tenetur vxor illum comitari; quia durissimum est hanc obligationem tamen imponere, & longe ab eorum conditione alienam, ut aliis relatis docuerunt Cobarrub. 4. decret. 2. p. cap. 7. in princ. num. 1. Sanch. d. disp. 41. n. 6. Gutier. dicto cap. 23. n. 6. Adduntque ob eandem rationem non obligari vxorem comitari virum longam peregrinationem instituentem, secus hincinaem.

6. Hoc autem limitant praedicti Doctores, ne procedat quando tempore contracti matrimonij solitus erat vir vagari, & vxor huius consuetudinis conscia fuit, quia eo casu obligata est eum comitari, eo quod contrahens matrimonium, neque excipiens vagationem notam cum posset, tacite se illi subiectionem debet tamen vagatio ex honesta causa sumi, non temere, & absque villo defectu, alias eum sequi deobligatur, ut bene relati Doctores docent.

7. Maritus vero vxorem sequi tenetur, illamque comitari, quando vxor necessitate legis, salutis, alteriusve causae grauis compellitur alicubi habitare domicilium, quia cum sibi inuicem obsequi debeant, in similibus habitare, tenetur maritus in locum vxoris se conferre; siquidem ipsa nequit ab eo recedere. Atque ita tradit Glossa in c. 1. verbo, sequitur, de coniugio lepro. & ibi Hostien. Innocent. Anton. Ancharan. & alij quos sequitur Sanch. d. disp. 41. n. 4. Gutier. de matr. c. 23. n. 13.

§. II.

An valeat pactum sponsalibus adiectum, quod vir teneatur in certo loco commorari?

- 1 Si pactum sit non de habitatione in perpetuum, sed pro determinato tempore licitum est.
- 2 De habitatione perpetua plures inualidum esse censent.
- 3 Verius est oppositum.
- 4 Inferitur ex praedictis obligari posse maritum ad non mutandum domicilium sub aliqua poena, eamque solvere debere non terveniente sententia iudicis.
- 5 Si maritus discedat iniuste a loco promisso, potest ab vxore vindicari.
- 6 Deobligata est vxor illum comitari.
- 7 Affirmant plures satisfacere maritum sua obligationi solvenda vxori interesse.
- 8 Displicet eorum sententia.
- 9 Precedit praedicta doctrina dummodo noua causa non emergat inuadendi domicilium.
- 10 Soluuntur fundamenta num. 2. adducta.
- 11 Valeat conditio maioratibus apposta, ut illius sine cesset teneatur certo loco habitare.
- 12 Valeat pactum, ne vir in aliquam civitatem ingrederetur.

